In nomine domini amen. Ad perpetuam rei memoriam. Quia tunc multis errorum et
dubiorum prudenter occurrimus dirimendis dum gesta etatis nostre literarum apicibus et testium annotacione
perhennamus. Proinde Nos Wladislaus dei gracia Rex Polonie necnon terrarum Cracovie Sando-
mirie Siradie Lancicie Cuiavie Lithwanieque Princeps Supremus Pomeranie Russieque dominus
et heres. Significamus tenore presencium quibus expedit universis tam presentibus quam futuris
presentem noticiam habituris. Quod pensantes puram fidelitatis constanciam et constantis fidei merita
quibus Stanislaus Advocatus Radoschicensis nobis complacuit et tanto fidelitatis studio in
posterum prestantius poterit complacere. Hoc intuitu volentes ipsum et eius merita prosequi favoribus
et ad nostra servicia eundem reddere prompciorem Advocaciam ipsius Stanislai quam volentes facere
meliorem Aream in Radoschice opido nostro in circulo in quo lima regalis antiqua posita fuerat
inter domum Wislai et Stephani opidanorum iacentem et sitam, advocacieque annectimus assignamus
damus et largimur donacione perpetua et in evum per ipsum et ipsius legittimos successores et posteros
habendum tenendum utifruendum et perpetuis temporibus pacifice possidendum edificandum vendendum permu-
tandum donandum et in usus suos suorumque successorum beneplacitos convertendum prout sibi et suis succes-
soribus legittimis melius et utilius videbitur expedire. Facientes eundem Stanislaum et ipsius
successores legittimos eiusdem aree veros heredes et legittimos possessores. Harum quibus sigillum
nostrum est appensum testimonio literarum. Actum in Wedlina feria tercia Carnisprivii Anno domini
Millesimo Quadringentesimo quartodecimo Presentibus ibidem Reverendis in Christo patribus dominis
Nicolao sancte Gneznensis ecclesie Archiepiscopo Alberto episcopo Cracoviensi necnon Strenuis Nobilibus-
que viris Cristino de Ostrow Castellano Johanne de Tharnow palatino Petro Schaffranecz
Subcamerario Cracoviensibus Nicolao de Michalow palatino Sandomiriensi Johanne de Szczekocin
Lublinensi Floriano de Corithnicza Wisliciensi Castellanis et aliis quampluribus fidedignis. Datum
per manus venerabilis domini domini [illegible] prepositi sancti Floriani ac Cracoviensis Regni Polonie vicecancellarii nobis sincere dilecti

Relacio Johannis [illegible]
Castellani Zawichosten

1414.